



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

Quomodo excommunicati soluendi

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

præcipere, vt unicuique peccata continuò remittantur, qui se tantum indicat, & in genere peccatorem fatetur. Verùm, tu Christiane Lector, Vide, quid hac de re Liber Reformationis præscribat, & nimium impudentis ac peruicacis calumniæ Aduersariorum te miserebit, qui ad cò non considerant, seipfos nullam omninò satisfactionem docere vel exercere: sed eius loco grauem & horribilem contemptum diuinæ Majestatis, dum Rosaria aliquot, Pater noster, vel alias preces, missas, peregrinationes, & id genus alia pro satisfactione hominibus imponunt.

Sanè si Canones valerent, & satisfactiones ab omnibus exigerentur, nemo verò ad falsam & inanem confessionem absolueretur, nisi prius debitam satisfactionem suam demonstrasset, iamdudum Ecclesiæ Dei ab istis suis hostibus, scriptisque calumniosis, & aliis Christianæ Reformationis oppugnationibus liberè ac securæ fuissent. Canonica enim satisfactiones iamdudum ab ordine Clericali, & cumulatorum beneficiorum assumptione eos remouissent: & quamuis se emendarent, ac multa illis gratia impertiretur, tamen solummodò inter Auditores & Procidentes admitterentur.

---

Quarta pars.

*De Excommunicatione.*

*De vnica ratione & via excommunicandi.*

*De Admonitione ante excommunicationem.*

*De iis qui præter Pastorem ad excommunicandum delecti sunt.*

*Quis debeat excommunicare & vbi.*

*Quatenus excommunicati debeant vitari.*

*Quas ob causas Christiana excommunicatio exercenda.*

*Quomodo excommunicati soluendi.*

C A P. CXIII.



ICVR in præcedenti Articulo, ita etiam in hoc præsentì, de Christiana excommunicatione, admodum perfricta fronte, ac temerè Librum Reformationis taxant. Sunt autem sex præcipuè partes, quibus tota Reprehensio continetur. Antididag. fol. 88.

Prima est, Duas esse excommunicandi formas, quas Liber Reformationis confundat, nec rectè distinguat.

Alterà, Librum velle, vt nemo excommunicetur, nisi primum à suo pastore, & certis quibusdam ad hoc designatis, fuerit admonitus.

Tertia, quod peculiare aliquot viros Parocho adiungit, qui peccatores admoneant.



Quarta, quod Excommunicationem fieri velit per Superintendentem eo in loco, ubi accusatus commoratur, assumptis sibi pastore & delectis cuiusque loci.

Quinta, Quod excommunicato in ciuilibus negotiis versari permittat.

Sexta, Quod vetet propter pecunias, debita, aut alias obligationes excommunicare quemquam.

Hæc omnia nihil aliud sunt, quàm meræ sycophantiæ: id quod tu ipse Christiane Lector, facillè deprehendes, si saltem articulum hunc, sicut in libro expositus est, perlegeris.

Primum cum dicant Librum Reformat. ambas excommunicandi vias inter se confundere, nec rectè distinguere, id & ab iurè ab eis asseritur, & præter veritatem Libro tribuitur. Vna enim tantummodò via ac ratio est, Excommunicationem, hoc est, Exclusionem à limitibus Ecclesiæ & communionem Dei, ritè exercendi, non duæ. Ea verò nihil aliud est, quàm vt peccatores per ordinariam potestatem Ecclesiæ, in nomine Domini, & ex Spiritu eius, cum consensu totius Ecclesiæ Dei, à communionem corporis Christi excludantur, siue propter manifesta peccata, siue de quibus certis testimoniis conuictus est. Hæc vnica est, vera & diuina forma excommunicandi, nec sunt plures.

Hoc autem verbum est, In excommunicatione distinctos esse gradus, nempe vt quidam ab omni communionem populi Christi excludantur, vt obstinati, & in peccatis pertinaciter perseverantes: alij non ab omni communionem Christi, vt qui emendationem pollicentur, qui solummodò à mensa, & aliis quibusdam sanctionibus Ecclesiæ actionibus, quantum quidem ad ædificationem ipsorum & humiliationem conducere potest, abstineantur, non autem penitus ab omni communionem religionis amoueantur. Tales enim interdum non solum ad prædicationem verbi Dei, sed etiam ad prædicationes quasdam Ecclesiæ admitti debent, sicuti in superiori proximo Articulo, de gradibus admittendi ad communionem Ecclesiæ, ab antiquis S. Patribus obseruatis, fuit indicatum. Talibus etiam in necessitate mortis tota communio Christi Domini nostri communicari debet, non item pertinacibus, & obstinatè in peccatis suis perseverantibus. Porro quod Aduersarij de duplicibus peccatis scribunt, propter quod homines excommunicandi sint, manifestis scilicet, & iis quæ per denunciationem, & conuictionem Ecclesiæ Christi patefiunt, id nondum efficit duas vias excommunicandi: sed sunt potius duæ rationes ac viæ reum se Excommunicationis constituendi. Propter vtrumque enim peccatorum genus, siue per se manifesta sint, siue denunciata vel testimoniis comprobata, homines vno & eodem modo ligandi sunt. Verùm quomodocunque eorum peccatorum quæ merentur Excommunicationem, discrimen appellent, Liber certè Reformat. id non prætermisit, neque etiam confundit. Sic enim incipit Articulus de Excommunicatione. Si verò quis in manifestis flagitijs perseverat, aut testibus idoneis conuinci potest, &c. Hic satis clarè discriminata sunt, manifesta & denunciata peccata. An non igitur deploranda improbitas



improbitas est istorum hominum, qui tam aperta mendacia contra Archiepiscopum, & Patrem suum scribere non verentur?

Sed subiungunt, id quod Dominus de correctione peccantium docet, Mar. 18. & ad priuatas tantum iniurias referendum esse: & pro confirmatione adducunt D. Chrysostrum. Verum in hoc tam Christo Domino, quàm D. Chrysostrum vim & iniuriam faciunt. Nominatim quidem eo in loco de priuatis iniuriis locutus est Dominus, quibus interdum fratres se mutuo afficiunt: id verò ad fratres, ad discipulos suos, ad Christianos locutus est, qui membra eius sunt, & commembra omnium fidelium: qui in charitate viuunt, & non quod suum est, sed quod aliis prodest, quærunt. Ex qua dilectione & communione Christi, quilibet Christianus omne id in fratre suo pro peccato & malo accipit, quicquid contra Christum caput suum, aliosque Christianos, commembra sua, vel dicto vel facto perpetrari potest: & id non minus, quin in ò longè magis in se peccatum esse iudicat, quàm si præcisè in suum corpus tale quid fuisset admissum. Quamobrem omnis pius Christianus, quemlibet fratrem, in quacunque re peccantem eum deprehenderit, contra quemcunque id fiat, ex antedicta charitate & communione, peccati sui commonefaciet & arguet, idque tanto seuerius ac diligentius, quatenus id magis ad alios pertingit, quàm si ad propriam suam personam pertineret. Hęc est doctrina Christi Domini, & D. Chrysostrum. Verum Aduersarij conantur generalem hanc doctrinam, de remedio omnium peccatorum, ad priuatas iniurias restringere. Nullibi habet Chrysostrum, quod Dominus hoc loco de priuatis tantum iniuriis loquatur. De priuatis dicit, sed vt in his doceat, quod remedium adhibendum sit, contra quæuis peccata.

Secunda huius Reprehensionis pars est, Librum velle vt nemo excommunicetur, nisi primùm à suo Pastore, & certis quibusdam deputatis, fuerit admonitus. Contra quod scribunt: Quasi manifesti peccatores publica fama declamati, sine secreta & Evangelica correptione præcedente, non debeant citari & excommunicari.

Rursus nota, Christiane Lector, damnatum morbum, pia & Christiana, eaque Archiepiscopi ac fidelissimi Patris dicta peruertendi. Liber Reformationis amplius nihil habet, quàm vt Pastor cum aliis ad hoc ab Ecclesia constitutis eos qui in flagitiis excommunicatione dignis publicè viuunt, vel idoneis testibus illorum conuincuntur, admoneant, vt ad Deum se conuertant, &c.

Non autem dicit, manifestos peccatores sine præcedente admonitione citandos nos esse, sed contra iubet eos citare, idque sine præcedente admonitione. Quæ (malum) impudentia. Quod verò etiam requirit, vt adhortatio ad conuersionem à malo ad obedientiam præmittatur, nunquid Christianum hoc non est, & scripturæ consentaneum? Excommunicandusne aliquis est, nisi prius ad pœnitentiam & emendationem vitæ admonitus?

Tertia pars est, de eo quod Liber dicit de delictis, qui in eiusmodi

A



negotiis Pastori adiunguntur, scribunt, Christum nullibi precepisse, & certi quidam ad correptionem faciendam assumendi designentur: sed permisisse offenso pro suo arbitrio, quos idoneos ad hanc rem iudicauerit, assumere.

Quid? Nihilne valebit, quicquid à Domino mandatum non est? O vtinā id apud se valere permetterent, ita enim facile, & à libro hoc carpēdo, & Christianam Reformationem oppugnando cessaturi essent? Iam precepit Dominus per Apostolum Paulum, ut omnia in Ecclesia sua optimo ordine, com̄ nunissimè, & ad ædificationem aptissimè administrantur: Docuit etiam ut Ecclesiis constituantur Presbyteri, siue sint in pagis, siue in urbibus, Act. 15. & Tit. 1. idque non eorum numero tantum, qui simul etiam Doctores esse possint, sed & ex aliis probatis ac fideis Christianis, ut Ambrosius scribit in 5. cap. prioris Epistolæ ad Timoth.

Synagoga, inquit, & postea Ecclesia Seniores habuit, quorum sine consilio nihil in Ecclesia agebatur. Quod qua negligentia absoluerit nescio: nisi fortè dictorū desidia, aut magis superbia, dum soli nolūt aliquid videri. Qui si antiquus fuit & diuinus tam synagogæ, quàm Ecclesiæ Christi ritus & malum est, eum obsoluisse: quare non bonum & Christianum sit, atque idcirco ab Aduersariis minimè carpendum, eundem restituere?

Quarta Accusationis pars est, contra id quod Liber excommunicandi ministerium Superintendenti, vnà cū Pastore & delectis assignat, ac vult ut excommunicatio fiat vbi excusatus commoratur. Cū tamen, ut aiunt, ad Episcopum pertineat sententiam pronuntiare in loco vbi residet.

Vides, Christiane Lector, quàm friuola ac nullius momenti sint Aduersariorum obiecta. Annon Episcopi longo iam tempore hæc officia suis Officialibus demandarunt, talibus hominibus, qui ipsi sæpenumero excommunicandi fuissent, & plerique eorum adhuc sunt? Quid igitur obstat, quo minus liceat nobis pios ac prudentes vios huic muneri præficere? Excommunicatio opus Episcopi quidem est, at quid aliud est verus Superintendens, quàm Episcopus? Verum Aduersariis summa rerum in nominibus ac titulis posita est, nihil autem in re ipsa & opere, quod præcepit Dominus.

Sic cū ipsi fateantur, imò fateri cogantur, antiquos veros Episcopos in excommunicando Ecclesiarum consensum requisuisse, quare constitutionem Libri vituperant, qui vult, ut in sua quisque Ecclesia ligetur, quò tota multitudo, quæ peculiariter talem vitare debet, tanto melius cognoscat, quàm iustè fuerit excommunicatus?

Allegant D. Paulum, qui tamen totus contra ipsos facit: & dicunt, quod absens Corinthium ligarit. 1. Cor. 5. Verum non modo excommunicauit eum, sed etiam Satanae tradidit, quod miraculum erat Spiritus S. quo potestatem Satanae dabat, peccatorem istum in carne puniendi & affligendi, quò caro eius prauis concupiscentiis & libidinibus moreretur. Spiritus verò ad pœnitentiam promoueretur. Hoc opus simile erat illi, quo



illi, quo Dominus Satanae permittebat sanctum Iobum in corpore affligere. Eiusmodi potestatem non habebant Corinthij. Quamobrem ipse eam corpore quidem absens, spiritu verò præsens demonstrabat. Etiam si enim nemo eorum qui Corinthi erant hoc opus præter ipsum perficere poterat, non tamen id in eo loco ubi ipse tunc temporis agebat, sed Corinthij, & præsente tota Ecclesia administrare voluit. Congregatis vobis, inquit, & meo spiritu. Item, Ego corpore quidem absens, præsens autem spiritu decreui, &c. Adeo non iudicauit bonum esse, ut peccatores, quibus supplicum irrogandum est, alio, quam ubi cõmorantur, citentur: quem abulum Aduersarij propugnant. Quantum verò ad Excommunicationem per se atinet, reprehendit Apollolus Corinthios, quod peccatorem istum non sua sponte excommunicassent, & à congregatione sua exclusissent: ac mandat eis, ut malum à se reiiciant, & cum nullo manifesto peccatore, qui frater appellari velit, commercium & consuetudinem habeant. Sic etiam præcipit Theffalonicensibus de his, qui inordinate versantur, 2. Theff. 2. Hinc ergo clarè vides, Christiane Lector, hoc ipsum quod Paulus hoc loco & fecit, & fieri mandauit, aperte pro libro contra Aduersarios facere. Verum sperant istos, quibus ipsi scribunt, nunquam neque Paulum, neque nostram Reformationem lecturos, sed solis ipsorum calumniis fidè adhibituros.

Quintò grauius accusant, ut qui permittat Excommunicatis in ciuilibus negotiis versari: & multa prædicant de seria excommunicatorum euitatione, etiam in omnibus ciuilibus negotiis. Enumerant quoque triplicem Excommunicationem: vnã cum quis tantummodo à cõmunionemense Domini abstinetur: Alterum, cum his, qui publicam pœnitentiam susceperunt, cõmunionem Sacramentorum interdicitur. Tertiam cum quis maiori excommunicationi subiicitur, quam anathema vocant, Et dicunt, Eos qui anathematizati sint, tantum ab externo confortio & cõmunionem arceri.

Hoc loco tres constituuntur excommunicandi modi, ubi reuera duo tantum sunt: quamuis alter eorum suos certos gradus apud veteres habuit, ut supra dictum est. Tertium verò modum eiusmodi constituunt, ut nulli hominum competere possit: videlicet, Hominem anathemati subiicere, quod Chrysoströmus in peculiari quodam sermone, super hac re habito ex S. Scriptura, firmissimè demonstrat. Anathema enim facere, est aliquem quasi à Christo Domino nostro penitus & in æternum separatam & abscissum iudicare ac condemnare. Cuiusmodi iudicium homo de falsa quidem doctrina, verum de nullo mortalium ferre potest, his solis exceptis, qui ad mortem peccant, & blasphemant spiritum S. non solum Filium hominis ex ignorantia, sed ipsum, inquam, spiritum S. scientes & volentes, in eius iam probè sibi notis, & verbo & operibus. Iam verò nemo hominis cuiusquã cor inspicere potest, atque ita cognoscere, utrũ sciens, an verò per ignoracionem veritatẽ Dei oppugnet & blasphemet, nisi per solam reuelacionem Sp. S. Neque igitur quisquam Christianus potest aliquẽ, de quo talẽ reuelacionẽ non habet, anathema, hoc est, in æternum à Deo reiectum iudicare: quod tamen Aduersarij



tentare ausi sunt seducti per suum Magistrum sententiarum, & qui in libros eius scripserunt. Illi enim statuunt ac docent, *Anathematizationem Ecclesie esse poenam, qua iis hominibus, qui digna illa percelluntur, gratia Dei & protectio amplius subtrahitur, ac sibi ipsis relinquuntur, ut sit eis liberum ruere in interitum peccati. In quos etiam maior diabolo seruendi datur potestas: orationes quoque Ecclesie, & benedictionum ac meritorum suffragia eis nequaquam suffragari putentur.* Hec Petrus Lombardus.

Ex hoc figmento ausi fuerunt ij, qui super hæc verba scripserunt, affirmare, quod Ecclesia non debeat pro talibus excommunicatis orare, quod tamen apertè pugnat cum doctrina Sp. S. & D. Chrysoctomi, in sermone supra citato. Is enim præcipit pro omnib. hominib. etiã infidelib. & peccatorib. orare, & orare non frustra, sed vt ad agnitionem veritatis perueniãt. Quomodo igitur Ecclesia, talib. gratiã ac tutelã Dei subtrahat, eorũque diabolo ac propriis libidinib. tradat ad mortem peccatorũ, ad mortem in carnis à peccato tradit. Ecclesia peccatorem Satanae, vt Spiritus saluus fiat. Non in mortem peccatorum, vt Spiritus perdat.

Quare relinquendi sunt homines isti, cũ anathematizatione sua: ea enim nulli mortalium in neminem cõpetere potest, quẽ non certo sciat, ex Spiritu Dei ad mortẽ peccauisse, spiritumque S. blasphemasse. Quod. n. Apostolus dicit, in calce Epistolæ ad Corinth. Qui non diligit Dominũ Iesum Christũ, anathema sit, id cõtra neminem peculiari ter locutus est, sed cõtra nõ diligere Dominũ nostrũ Iesum Christũ, eiq. aduersari. Sicut etiam & Angelos & homines anathematizat, qui aliud Euangelium prædicat: vbi nõ homines aut Angelos per se, sed opus aliud Euangelium prædicandi, hoc modo contẽnat. Hoc verò discriminẽ tradit S. scriptura, in excommunicando, si quis in grauiora scelera, quæ vim habent à regno Dei excludẽdi, fuerit prolapsus, & adhortationẽ Ecclesie ad poenitentiam audit, in eamq. se tradit, is debet toto tẽpore poenitentia, donec absolutionẽ impetrauerit, à mensa Domini, & aliis Sacramentorũ tractationib. arceri, & in externis quoque fratrum cõmerciis euitari, quatenus ad humiliationẽ ipsius confert, modo nulla necessaria, & ad pietatẽ vtilia obsequia ei denegentur, & subtrahantur. Antiqui adhuc vltius discriminẽ erga tales obseruarunt, si enim peccata valde graua erãt, & interdũ poenitentia non satis adhuc seriõ demonstrabatur, tunc excommunicatos solummodo ad audiendum verbum Dei admittebant, si verò magis seriam poenitentiam declarabant, tunc etiam inter eos, qui coram Ecclesia procidebant, & humi iacentes veniam petebant, admittebant. Deinde si adhuc vehementior poenitentium dolor apparebat, vel peccata non admodum graua erant, tunc mittebantur etiam communioni precum interesse, sicut antehac quoque cõmemoratũ est.

Alter pars excommunicandorum est eorum, qui correctionem & disciplinam Ecclesie ad emendationem non recipiunt, sed in peccatis suis perseuerãt, Ecclesieq. Christi cõtẽnũt, tales ab omni cõfortio Christianorũ excludẽdi sũt, tã in reb. religionis, quã in aliis negotiis: habẽdi pro Ethnicis & publicanis, nec cibus nec potus cum illis sumendus, non salutãdi, sed in omnib. reb. vitandi. Quantũ vniciq. priuatim cõpetit, &

excom.



excommunicatis in eum finem prodesse potest, ut tanto citius pudore peccatorum suorum afficiantur, & ad pœnitentiam permoueant. Non tamen habendi pro hostibus sunt, sed quoad spes aliqua superest, eos ad pœnitentiam lucrandi, tandiu tanquam fratres, de peccatis suis commonefaciendi sunt, & ad emendationem admonendi, 2. Thess. 3.

Quando igitur Christianis, à Magistratu iniungitur, ut aliquid cum eiusmodi excommunicatis commercij habeant, siue id sit in muneribus & officiis, siue obsequiis ad rempub. pertinentibus, siue in quibuscunque tandem negociis, fideliter id exequi debent. Cum n. infidelibus Dominis subiectos esse oporteat, necesse est commercium quoque habere cum illis, per quos gubernationis suæ officia administrant. Ad eundem modum quo ad alia quoque officia, corporalem necessitatem concernentia, cum talibus excommunicatis, communicare oportet: quæ partim ipsis Christiani præstant, partim ab eis accipiunt. Nam & hostem amare, cibare & potare oportet. Sic ubi opportunitas data fuerit, eos ad pœnitentiam mouendi, adhiberi ad id debet quicquid externi eò conducturum videtur, siue edere, siue bibere, siue quiduis aliud. Sicut etiam Dominus noster fecit, quâdo cū Samaritanis, aliisque publicis peccatoribus, atque idcirco corâ Domino verè excommunicatis, cibum sumpsit.

Ante omnia diligenter considerandum est, quod omnis euitatio ligatorum in eum finem tendere debet, ut per eam peccator humilietur, ac dolore pudorèque de peccatis suis efficiatur, & quantum fieri potest, ne in peccatis suis securus & audax, vel obstinatus desperatiusque reddatur, vel denique ad maiorem contemptum, odiūque Christi causetur. Si enim Christiani cum talibus nimis indulgenter agunt, tantò minus de peccatis suis anguntur, eorumque nec pudore, nec pœnitentia afficiuntur. Si verò nimis duros ac seueros erga tales se exhibent, tunc vel desperant, vel penitus obstinati & profligati redduntur. Eiusmodi præcipitia diligenter cauenda sunt, sicut & apostolus quoque monet. 2. Cor. 2.

At quid opus est cum hoc hominum genere de Ecclesiastica disciplina disputare, apud quos omnes constitutiones & canones, de Christiana excommunicatione adèdè dilaniati, & annihilati sunt? Reprehendunt Librum, quod permittat cum excommunicatis in ciuilibus negociis communicare, cum illi ipsi, cum eis, non in ciuilibus tantum, sed etiam spiritualibus, & religionem concernentibus communicent. Clericos n. qui in aperta Simonia hærent, qui concubinas apud se fouent, aut alias se fornicatione contaminant, qui sua Ecclesiastica munera non fideliter obeunt, qui immodicè potant, qui mundanis negotiis se implicant, hos omnes & S. scriptura, & Canones excommunicant, Dominus item per Apostolum, nec non omnes antiqui Patres interdicit fidelibus, ne cum talibus commercium habeant. Aduersarij autem volunt, ut non solum cum eiusmodi hominibus tam in spiritualibus tam secularibus negotiis communicemus, verum etiam ut corpus & animam illorum curæ cõmittamus, nihilque & credamus & in tota vita faciamus, nisi quod ipsi nobis præscripserint.



Adhæc apertas calumnias scribunt Aduersarij contra Librum Refor. & impudentissima mendacia, quod ad hanc materiam attinet, quorum primum est, Librum requirere, vt Excommunicatus à communionem tantum Eucharistiæ excludatur, vetare item illi assistere, vbi quis baptizatur, aut matrimonium contrahitur.

Hæc dictio ( tantum ) non habetur in Libro, sed tres istæ actiones solummodò exempli gratia commemorantur, & excommunicato solum prædicationem verbi Dei audire permittitur.

Alterum mendacium est, Librum facere potestatem Magistratui seculari, vt Excommunicatos in ciuilibus versari permittat.

Quod nullibi in toto Libro habetur, sed, si Magistratus ciuilis concedat excommunicato, vsum politici status. Vbi verò sunt Magistratus, qui id non faciunt? Quare cum nulli non id faciunt, in primis verò illi Magistratus, pro quibus Aduersarij pugnant, necessarium sanè est docere, quomodo Christiani, vel cum eiusmodi Magistratibus ipsis, vel his quibus ad gubernationem, statumque Politicum vtuntur, quo ad excommunicationem se gerere debeant.

Grauius quidem peccant Magistratus, imò imperiales Cõstitutiones transgrediuntur, quando tales qui propter aperta & notoria crimina, excommunicati sunt, non honoribus statumque dignitate ciuili priuât, vt qui fœdus suum, ac fidem violarint, & violent in dies, sintque contumeliosi in Deum, & Creatorem suum, in Christum Dominum & seruatorem suum, denique in Ecclesiam Christi, matrem suam. Quod officium suum quando Magistratus non perpendunt, sed excommunicatos in pristinis honoribus, statumque politico relinquunt, an propterea non debêt Christiani subditi eos pro Magistratibus suis agnoscere, & in administratione Reipub. aliisque ciuilibus negociis, vt contractibus emendo ac vendendo, & quicquid præsentis vitæ necessitas postulat, vel cum illis ipsis, vel cum his, quorum opera ad gubernationem, aliisque ciuilia negocia vtuntur, communicare & commercium habere? Hinc breui tempore Iudæi, Galilæi, & Monasteriensium Anabaptistarum seditio exoritura esset. Cuius sanè Aduersarij illico Librum accusaturi fuissent, si quid in eo positum esset, quod non ex dimidia parte, tam clarè eiusmodi illationem inferret, atque hæc eorum reprehensio.

Tertia calumnia est, Librum docere quod excommunicatio non sit impedimento ciuilibus negotiis tractandis. Et non considerant, quem modum in hac parte liber præscripserit.

Primum, quod excommunicatio ciuiliu negociorum tractationem non impediât, non habetur in Libro, sed contrariu. Omnia enim nõ necessaria consortia, cum excommunicatis, qui propterea quod in peccatis pertinaciter pergunt, excommunicantur, prohibet, ac vult, vt Christiani erga tales ita se gerant, vt & ipsi excommunicati, & alij intelligant, Christianos grauius dolore, & tristari, propter eorum flagitia, & scandala, quæ Ecclesiæ Dei obiiciunt, in quo docet Liber, excommunicationem omnia ciuilia negocia, quæ non à Magistratu, vel alio quin corporali necessitate requiruntur, impedire. Quamobrem vult.



vult vt excommunicati, in emendo & vendendo, aliisque negociis, que vel ciuilibus obedientia, vel humana necessitas non postulat, à Christianis euitentur.

Hic rursus vides, Christiane Lector, quàm cauillatoriè & impudenter Aduersarij, contra Archiepiscopum suum scribant. Det clementissimus Deus, vt omnium eorum consuetudo, & conforcium, à Christianis euitetur, qui in manifestis atque excommunicatione dignis flagitiis hærent; ita enim in Reformatione nostra promouenda, neque ab ipsis, neque ab vllis aliis hominibus impediremur.

Sexta accusatio est, quod liber vetet, propter pecunias, debita, aut alias obligationes, quenquam excommunicari.

Hoc rursus apertum, & calumniosum mendacium est. Liber enim sic habet: Adhibenda itaque excommunicatio est, tantum aduersus publicè flagitiosos, qui nolunt resipiscere, nõ in aliis ciuilibus negociis, vt ad exigenda debita, &c. Hic obserua, Christiane Lector, dictum illud (non in aliis ciuilibus negociis.) Quid est (non in aliis?) hoc est, non in iis rebus, quæ non sunt publica peccata, si enim aliquis alteri debitum, vel obligationem secularem persoluere & præstare, eumque facultatibus suis, fraudulentè & malitiosè fraudare vellet, is sanè publicum flagitium, & excommunicatione dignum admitteret. At quàm miserè Aduersarij abutuntur excommunicatione! Quas apertas scortationes, inebriationes, simonias, vsuras, blasphemias, excommunicationis fulmine feriunt ipsorum excommuicatores? Tantummodo ad debita, ad iurgia & contentiones, & quicquid ad fastum, superbiàmque eorum facit, ea abutuntur, & hunc abusum, Liber Reform. redarguit, Non prohibet eam vsurpare contra manifestam fraudem, & iniquitatem, siue ea in pecuniis, siue in aliis secularibus negociis exercentur,

Septima Accusatio est, Antiquis Canonibus institutum esse, vt excommunicati non prius absoluantur, quàm vbi egerint pœnitentiam, dederintque cautionem, de emendatione, & damno releuando.

Hæc rursus ementita calumnia est, quod facilè videbit Christianus Lector, si postremum paragraphum, huius articuli de excommunicatione, perlegerit. In eo enim expressis verbis positum est, neminem absoluumendum esse, nisi resipiscat, & desistat à flagitiis suis, propter quæ excommunicatus erat, agnoscat & confiteatur peccata, & si quem offenderit, ei reconcilietur, petatque suppliciter peccatorum & inobedienciæ suæ aduersus Deum, & Ecclesiam, remissionem. Hæc omnia requirit Liber. Eaque demum vera pœnitentia, & cautio est, de qua Aduersarij parum solliciti sunt, suamque absolutionem, modo in promptu pecunia sit, & debita persoluta, nemini negant, non curantes, siue emendent se homines, siue deteriores reddantur. Hæc eorum pœnitentia & cautio est. Sic ergo manifestè vides Christiane Lector, quomodo omnia quæ Aduersarij, contra hunc Articulum de Excommunicatione scripserunt, esse aperta mendacia, merasque calumnias.